

Lusitani *Terreinbos*, Belgæ *Landwind*, appellant) aliis verò diei horis à mari versus terras flantes (quos *Vlracons*, *Wind uyt de Zee* nominant;) ut in Malabarico litore inter Septembrem & Aprilem, ab hora duodecima noctis ad duodecimam diei, *terrestres*, à 12. diei verò ad 12. noctis *marini*; in litore Americanæ five novæ Hispaniæ, *terrestres* media nocte, *marini* de die; in regno Congi, & in provinciis ad Lopo consalvo, illi à vespere per noctem, hi manè ac deinceps, calorem diei minuentes &c.

*PHÆN. XV.* Neque verò Temperatæ nostræ Zonæ prorsus defunt statæ quædam ventorum ac tempestatum vices. Ut enim taceam ventos istos Orientales & confines perpetuos, quos Phæn. XI. ac XII. recensuimus, ultra Tropicorum terminos ad trigessimum latitudinis gradum utrinque constantiam suam exporrigentes; innotuerunt jam olim Græcorum *Etesia* & *Ornithia*, Aristoteli quoq; Lib. II. Meteor. cap. 5. commemorati, sed satis negligenter, iudice Varenio cap. XXI. Prop. IV. nec sine causa fortassis; Etenim de *Etesis* hæc tantùm annotavit: *Οἱ δ' ἐτησίαι πνέουσι μὲν τροπὰς καὶ κυνὸς Ἰπιπολὴν, καὶ ἔπειτα τὴν καυτὰ ὅτε πλησιάζει μάλιστα ὁ ἥλιος, ἔπειτα ὅτε πόρρω καὶ τὰς μὲν ἡμέρας πνέουσι, τὰς δὲ νυκτὰς παύονται.* h. e. *Etesia* verò spirant post *Solstitia* & post *canis exortum* (cum Sole) neq; tunc cum Sol maximè appropinquat (vertici) neq; cum procul (abest) & interdum quidem spirant, noctu verò cessant: dum alii & initium eorum sexto vel 15to Julii, durationem 40. diebus, finem Augusto finiente, paulò determinatiùs circumscribere conati sunt. *Ornithiarum* verò non tempus quidem penitus (uti Varenius videtur existimasse) at plagam unde spirent, distinctiùs adnotare neglexit, his tantùm circa ipsos commemoratis: *Ὁμοίως δὲ καὶ μὲν τὰς χειμερινὰς τροπὰς πνέουσι οἱ ὀρνίθια. Καὶ γὰρ ἔπειτα ἑτησίαι εἰσὶν ἀσθενεῖς ἐλαττωδὲς καὶ ὀψιαίτεροι τῶν ἐτησίων πνέουσι ἐβδομηκοστῆ γὰρ, ἀρχόντων πνεῖν, ἔστω συνεχεῖς δὲ ὁμοίως πνέουσι.* h. e. *Similiter* & post *brumalia Solstitia* spirant *Ornithia*: Nam & hi sunt *Etesia* (sive anniversarii, sed) debiles. *Exiliores* autem & serò magis spirant *etesis*. *Hebdomadatim* enim incipiunt stare -- non continuè tamen spirant. Illum verò canicularem boream non tantùm in Græcia, Thracia, Macedonia, mari Ægeο, ejusque insulis (generali Græciæ nomine utique aliquando comprehensis) sed in Ægypto quoq; & Africa, senari testatur sæpe laudatus Varenius; imò eos quoque ventos, qui

in